Zirkumskriptionsbulle über die Neuumschreibung der kirchlichen Provinzen und Diözesen im Preußischen Staat

Vom 13. August 1930

(AAS 23 [1931], S. 34 ff.)

**Constitutio Apostolica
de nova provinciarum ecclesiasticarum et dioecesium
in Statu Borussico circumscriptione**

**Pius Episcopus
servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam**

Pastoralis officii Nostri cura et Ecclesiarum omnium sollicitudo a Nobis iugiter postulat ut, quae dominico gregi salubrius pascendo ac facilius regundo prodesse videntur, ea sedulo studio praestare satagamus. Ad hoc siquidem assequendum non parum iuvat recta dioecesium circumscriptio, quae temporum et locorum adiunctis quam maxime respondeat. Cum itaque inter Apostolicam Sedem et Borussiae Statum solemnis Conventio, seu Concordatum, nuper inita et confirmata sit, qua hierarchia et dioecesium circumscriptio noviter in eodem Statu ordinantur: Nos, quae in ecclesiastici regiminis utilitatem iisdem pactis sancita sunt exsecutioni mandare volentes, additis parvis quibusdam dioecesium finium mutationibus, quae tarnen localem animarum curam unice respiciunt, omnibus mature perpensis, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit, vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, Apostolicae potestatis plenitudine ea quae sequuntur decernimus et statuimus:

I. In Statu Borussiae, praeter provinciam ecclesiasticam Coloniensem iam exsistentem, duas, ut infra, novas erigimus provincias, Vratislaviensem et Paderbornensem.

II. Coloniensis provincia, praeter metropolitanam Ecclesiam Coloniensem, retinebit ut antea suffraganeas ecclesias Monasteriensem et Trevirensem. Ab eadem vero separamus ac seiungimus sedem episcopalem Paderbornensem, cuius Antistitem propterea ab Archiepiscopi Coloniensis metropolitico iure eximimus. E contra posthac augebitur sedibus Aquisgranensi, noviter, ut infra, erigenda, Limburgensi, metropolitanae Ecclesiae Friburgensis hucusque suffraganea, et Osnabrugensi, S. Sedi hactenus immediate subiecta.

1) Archidioecesis Coloniensis coarctabitur ad hos qui sequuntur decanatus: Alfter, Barmen, Bedburg, Benrath, Bensberg, Bergheim, Beuel, Bonn,

Brühl, Düsseldorf, Elberfeld, Essen, Euskirchen, Frechen, Godesberg, Grevenbroich, Gummersbach, Hersel, Kerpen, Köln, Königswinter, Lechenich, Lövenich, Meckenheim, Mülheim, Münstereifel (exceptis paroeciis Bouderath et Nöthen), Neunkirchen, Neuß, Oberhausen, Opladen, Porz, Ratingen, Rheinbach, Siegburg, Solingen, Uckerath, Werden, Wipperfürth, Wissen, Zons, Zülpich (exclusis paroeciis: Berg, Disternich, Floisdorf, Sievernich, Vlatten); itemque ad sequentes paroecias: Elfgen, Commern, Füssenich, Kupferdreh, Langerfeld, Pingsheim. Reliquum autem territorium ad Coloniensem archidioecesim usque nunc pertinens, ab eadem avellimus et dismembramus. Capitulum metropolitanum Coloniense suam etiam in posterum constitutionem servabit; volumus tarnen ut unus ex eius membris honorariis eligatur inter clericos magistros in Facultate Theologica, quae in ea ipsa archidioecesi exstat.

2) Territorium ab archidioecesi Coloniensi, ut supra diximus, avulsum in novam erigimus dioecesim, quam a percelebri Aquisgranensi urbe Aquisgranensem nuncupari volumus. Haec nova dioecesis hos decanatus comprehendet: Aachen, Aldenhoven, Alsdorf, Blankenheim, Cornelimünster, Derichsweiler, Dülken, Düren, Erkelenz, Eschweiler, Gangelt, Geilenkirchen, Gemünd, Gladbach, Hasselsweiler, Heinsberg, Herzogenrath, Hochneukirch (excepta paroecia Elfgen), Jülich, Kempen, Krefeld, Kronenburg (exclusis paroeciis: Hallschlag, Ormont, Steffeln), Linnich, Lobberich, Mechernich (excepta paroecia Commern), Monschau, Nideggen, Nörvenich (exclusa paroecia Pingsheim), Rheydt, Steinfeld, Stolberg, Uerdingen (exceptis paroeciis: Friemersheim et Kaldenhausen), Vettweiß (seclusa paroecia Füssenich), Viersen, Wassenberg, Wegberg. Eidem insuper Aquisgranensi dioecesi assignamus quas supra memoravimus paroecias Berg, Bouderath, Disternich, Floisdorf, Nöthen, Sievernich, Vlatten atque paroeciam Hinsbeck, quam propterea ex territorio dioecesis Monasteriensis separamus.

Huius novae dioecesis sedem in urbe Aquisgranensi, a qua dioecesis ipsa nomen mutuatur, constituimus, quam proinde ad civitatis episcopalis fastigium extollimus cum omnibus iuribus et privilegiis, quibus ceterae episcopales civitates iure communi fruuntur. Cathedram vero Episcopi in ecclesia Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae, in eadem urbe exstante, figimus, quam idcirco ad Ecclesiae Cathedralis gradum et dignitatem evehimus; ipsi ergo eiusque pro tempore Episcopis iura omnia ac privilegia concedimus, quibus aliae cathedrales Ecclesiae earumque Antistites iure communi potiuntur; eisdemque onera imponimus, quibus aliae cathedrales Ecclesiae earumque Episcopi per orbem adstringuntur.

Hanc autem novam dioecesim suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Coloniensis, simulque Aquisgranenses pro tempore Episcopos metropolitico iuri Archiepiscopi Coloniensis subiicimus. Capitulum vero collegiale, in urbe Aquisgranensi exstans, ad Capituli Cathedralis gradum et fastigium extollimus cum omnibus iuribus, insignibus et privilegiis, oneribus et obligationibus quae Capitulis cathedralibus sunt propria; idemque unica dignitate, videlicet Praeposito, ac sex canonicis titularibus, quatuor canonicis honorariis et sex vicariis constituetur.

3) Dioecesis Limburgensis suo ambitu complectetur decanatus: Camberg, Eltville, Hadamar, Höchst, Bad Homburg, Königstein, Limburg, Meudt, Montabaur, Oberlahnstein, Ransbach, Rennerod, Rüdesheim, Bad Schwalbach, Wiesbaden; itemque paroeciam Limburg, iure exemptionis gaudentem; necnon districtum Frankfurt a. Main, cum paroeciis: Bockenheim, Eckenheim, Eschersheim, Fechenheim, exceptis tarnen locis: Bergen-Enkheim et Bischofsheim. Hanc Limburgensem dioecesim a metropolitico iure Archiepiscopi Friburgensis subtrahimus, ac, ut iam diximus, metropolitanae Ecclesiae Coloniensis suffraganeam constituimus.

4) Monasteriensis dioecesis pro suo territorio decanatus habebit: Ahaus, Ahlen, Beckum, Bocholt, Borken, Bottrop, Buer, Burgsteinfurt, Calcar, Cleve, Cloppenburg (secluso loco Wachtum cum propria ecclesia), Coesfeld, Damme, Datteln, Dinslaken, Dorsten, Duisburg, Dülmen, Emmerich, Freckenhorst, Friesoythe, Geldern (excepta paroecia Hinsbeck), Gladbeck, Goch, Hamborn, Herten, Kevelaer, Ibbenbüren, Lüdinghausen, Moers, Münster, Nottuln, Oldenburg, Recklinghausen, Rees, Rheine, Rheinberg, Sterkrade, Telgte, Vechta, Vreden, Warendorf, Werne, Xanten; ac insuper eas, quae sequuntur, paroecias: Kaldenhausen, Friemersheim, Tönisberg et locum Korte in Levinghausen.

   Huius dioecesis cathedrale Capitulum immutatum manebit, sed in posterum unus ex eius membris honorariis inter clericos magistros in Facultate Theologica in ea ipsa dioecesi exsistente eligetur.

5) Dioecesis Osnabrugensis servabit antiquos decanatus, videlicet: Bentheim, Emsland I, Emsland II, Freren, Fürstenau, Gronenberg, Hümmling, Hunteburg-Vörden, Iburg, Lingen, Osnabrück, Ostfriesland, nec non locum Wachtum cum propria ecclesia; atque simul perpetuo sibi adiunget territorium missionis efformatum ex vicariatu apostolico amplectente loca Bremen, Hamburg, Lübeck, Oldenburgisch-Lübeck, Mecklenburg-Schwerin, Mecklenburg-Strelitz, Schaumburg-Lippe, et ex praefectura apostolica de Schleswig-Holstein; quod missionis territorium iam sub Episcopi Osnabrugensis, uti Vicarii et Praefecti Apostolici, administratione erat.

Hanc dioecesim Apostolicae Sedi hactenus immediate subiectam metropolitanae Ecclesiae Coloniensis suffraganeam constituimus et declaramus.

6) Trevirensis dioecesis patebit per decanatus: Adenau, Ahrweiler, Andernach, Bassenheim, Bernkastel, Birkenfeld, Bischofsdhron, Bitburg, Blankenrath, Burgbrohl, Carden, Clausen, Cobern, Cochem, Conz, Daun, Dillingen, Ehrang, Ehrenbreitstein, Engers, Gerolstein, Hermeskeil, Hillesheim, Illingen, Irrel, Kaisersesch, Kelberg, Kirchen, Koblenz, Kreuznach, Kyllburg, Linz, Manderscheid, Mayen, Merzig, Münstermaifeld, Neuerburg, Obergondershausen, Oberkail, Ottweiler, Perl, Piesport, Prüm, Remagen, Ruwer, Saarbrücken, Saarburg, Saarlouis, Schweich, Simmern, Sobernheim, Sulzbach, St. Goar, St. Wendel, Trier, Völklingen, Wadern, Wadgassen, Waxweiler, Wittlich, Zell; atque praeterea per paroecias Hallschlag, Ormont, Steffeln cum vicariis Jünkerath et Schüller.

III. Nova provincia Vratislaviensis efformabitur ex ipsa ecclesia Vratislaviensi, ad metropolitanae dignitatem extollenda, ex suffraganeis dioecesibus Berolinensi, noviter erigenda, et Varmiensi, nec non ex suffraganea praelatura „nullius“ Schneidemühlensi noviter et ipsa erigenda.

1) Vratislaviensis dioecesis suum servabit territorium, ea parte excepta quae administrationi Apostolicae Berolinensi iam attributa fuit. Hanc cathedralem Ecclesiam S. Sedi hucusque immediate subiectam, ad metropolitanae Ecclesiae gradum et dignitatem evehimus, eidemque propterea attribuimus et assignamus omnia et singula iura, privilegia et praerogativas, quae ceteris metropolitanis sedibus ex iure competunt, simulque Archiepiscopos pro tempore Vratislavienses iuribus ac privilegiis augemus, quibus ceteri Archiepiscopi fruuntur una cum facultate crucem ante se deferendi, necnon pallio, ad sacrorum canonum normas, utendi, postquam tarnen hoc ab Apostolica Sede in sacro Consistorio postulatum et impetratum fuerit. Ecclesiam vero Vratislaviensem eiusque Antistitem iisdem adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceterae per orbem metropolitanae sedes earumque Antistites tenentur. Item Capitulum cathedrale Vratislaviense ad Capituli metropolitani gradum et dignitatem extollimus, eidemque tribuimus honores et praerogativas metropolitanis Capitulis de iure spectantes, suppresso loco, quem hucusque sibi reservatum obtinebat Praepositus S. Hedwigis in urbe Berolinensi. Unus autem ex capitularibus ad honorem inter clericos magistros in Facultate Theologica, quae in ipsa archidioecesi Vratislaviensi exstat, eligetur.

2) Insuper Administrationem Apostolicam Berolinensem supprimimus, et ex eius territorio novam eiusdem nominis dioecesim erigimus, quam metropolitanae Ecclesiae Vratislaviensis suffraganeam declaramus, eiusque pro tempore Episcopos metropolitico iuri Archiepiscopi Vratislaviensis subiicimus.

Huius dioecesis episcopalem sedem in urbe Berolinensi constituimus, quam proinde ad civitatis episcopalis gradum evehimus. Cathedram vero Episcopi in ecclesia S. Hedwigis ibidem exstante figimus, quam proinde ad Ecclesiae cathedralis fastigium et dignitatem extollimus, eidemque propterea eiusque pro tempore Episcopis omnia concedimus iura et privilegia quibus ceterae cathedrales earumque Antistites pollent, illosque simul oneribus et obligationibus adstringimus, quae cathedralibus ecclesiis earumque Episcopis ad tramitem iuris pertinent. In eadem S. Hedwigis ecclesia Capitulum cathedrale erigimus, quod constabit una dignitate, idest Praeposito, quinque canonicis titularibus, unico canonico ad honorem et quatuor vicariis. Hoc vero Capitulum tum iuribus, insignibus ac privilegiis fruetur, tum obligationibus tenebitur, quae ex iure statuuntur.

3) Varmiensis dioecesis efformabitur ex iis qui sequuntur decanatibus: Allenstein, Braunsberg, Christburg, Elbing, Guttstadt, Heilsberg, Marienburg, Masuren I, Masuren II, Mehlsack, Rössel, Samland, Seeburg, Stuhm, Tilsit, Wartenburg, Wormditt, nec non Pomesanien, cuius territorium Varmiensi dioecesi assignamus, ac propterea ipso facto cessabit ipsius territorii Administratio Apostolica.

   Hanc autem dioecesim Varmiensem, hactenus Apostolicae Sedi immediate subiectam, metropolitanae Ecclesiae Vratislaviensis in posterum suffraganeam constituimus, eiusque pro tempore Episcopos metropolitico iuri Vratislaviensis Archiepiscopi subiicimus.

   Capitulum vero cathedrale Varmiensis dioecesis, in urbe Frauenburg exsistens, in futurum constituetur duabus dignitatibus, Praeposito nempe et Decano, sex canonicis titularibus, quatuor canonicis honorariis et quatuor vicariis.

4) Novam insuper per praesentes Litteras erigimus praelaturam „nullius“ quam Schneidemühlensem nuncupari volumus. Ipsam metropolitanae Ecclesiae Vratislaviensis suffraganeam constituimus; eiusque pro tempore Praelatos metropolitico iuri Archiepiscopi Vratislaviensis subiicimus.

   Huius novae praelaturae territorium constabit ex residuis partibus occidentalibus archidioecesis Gnesnensis et Posnaniensis atque dioecesis Culmensis, videlicet ex decanatibus: Betsche, Bomst, Deutsch Krone, Flatow, Fraustadt, Lauenburg i. Pomm., Schlochau, Schneidemühl. Nova hac praelatura ita erecta, Administratio Apostolica sub qua iidem decanatus hactenus erant, ipso facto cessabit.

IV. Nova provincia ecclesiastica Paderbornensis amplectetur ipsam Paderbornensem Ecclesiam ad metropolitanae gradum ut infra elevandam, atque suffraganeas sedes Fuldensem et Hildeshiensem.

1) Cathedralem Ecclesiam Paderbornensem, Ecclesiae Coloniensis hucusque suffraganeam ac ab eiusdem metropolitico iure, ut supra, avulsam, ad Ecclesiae metropolitanae gradum et fastigium extollimus cum omnibus iuribus, privilegiis, praerogativis, honoribus et insignibus nec non oneribus et obligationibus quae tum metropolitanis Ecclesiis, tum earum pro tempore Archiepiscopis de iure pertinent. Idcirco Paderbornensi Archiepiscopo concedimus ius crucem ante se ferendi atque pallio ad ss. canonum normas utendi, postquam vero hoc in Consistorio expostulatum ac obtentum fuerit.

   Archidioecesis Paderbornensis territorium ex his qui sequuntur decanatibus efformabitur: Anröchte, Arnsberg, Attendorn, Beverungen, Bielefeld, Bigge, Bochum, Borgentreich, Brakel, Brilon, Büren, Castrop-Rauxel, Delbrück, Dessau, Detmold, Dortmund-Altstadt, Dortmund-Nordost, Dortmund-Süd, Dortmund-West, Egeln, Eisleben, Elspe, Gehrden, Gelsenkirchen, Geseke, Hagen (excepta paroecia Langerfeld), Halberstadt, Halle, Hamm, Hattingen (seclusa paroecia Kupferdreh), Herne, Höxter, Iserlohn, Kamen, Letmathe, Lichtenau, Magdeburg, Marsberg, Medebach, Menden, Meschede, Olpe, Oschersleben, Paderborn, Rietberg, Rüthen, Salzkotten, Siegen, Soest, Steinheim, Stendal, Sundern, Waldeck, Wanne-Eickel, Warburg, Wattenscheid, Werl, Wiedenbrück, Witten, Wittenberg, Wormbach.

   Capitulum vero cathedrale Paderbornense ad Capituli metropolitani honorem et dignitatem extollimus cum omnibus iuribus, praerogativis et privilegiis quae Capitulis metropolitanis sunt propria.

2) Hildeshiensem dioecesim, hactenus Apostolicae Sedi immediate subiectam, metropolitanae Ecclesiae Paderbornensis suffraganeam constituimus, eiusque pro tempore Antistites metropolitico iuri Archiepiscopi Paderbornensis obnoxios declaramus. Huius dioecesis territorium comprehendet decanatus: Bockenem, Borsum, Braunschweig, Detfurth, Duderstadt, Förste, Gieboldehausen, Goslar, Gronau, Hannover, Harburg, Hildesheim, Lindau, Nörten, Peine, Verden; paroeciam Rinteln et curatias Obernkirchen et Bad Nenndorf. Huius dioecesis Capitulum cathedrale quinque canonicis titularibus in posterum constabit.

3) Fuldensem dioecesim, hucusque ecclesiasticae provinciae Friburgensi subiectam, a metropolitico iure Ecclesiae Friburgensis subtrahimus, et suffraganeam constituimus metropolitanae Ecclesiae Paderbornensis, eiusque pro tempore Antistites metropolitico iuri Archiepiscopi Paderbornensis subiicimus. Ad Fuldensem dioecesim pertinebunt decanatus: Amöneburg, Beuren, Bischofferode, Eiterfeld, Erfurt, Fritzlar, Fulda, Geisa, Großenlüder, Hanau, Heiligenstadt, Hilders, Hünfeld, Kassel (exclusa paroecia Rinteln cum vicariis Obernkirchen et Bad Nenndorf), Kirchworbis, Küllstedt, Lengenfeld,

Margretenhaun, Neuhof, Nordhausen, Orb, Rustenfelde, Salmünster, Weimar, Weyhers, Wiesenfeld; atque insuper loca: Bergen-Enkheim et Bischofsheim. Huius dioecesis Capitulum cathedrale quinque canonicis titularibus in futurum constituetur.

Hisce itaque ut supra dispositis, ad eadem omnia exsecutioni mandanda deputamus venerabilem fratrem Caesarem Orsenigo, Archiepiscopum Ptolemaidensem in Lybia, Nuntium Apostolicum in Republica Germanica, eidem propterea tribuentes necessarias et opportunas facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum ac definitive sententiam dicendi de quavis occurrente difficultate vel oppositione in exsecutionis actu quomodolibet oritura, et cum onere ad Sacram Congregationem Consistorialem mittendi intra sex menses, ab his Litteris acceptis computandos, peractae exsecutionis actus authenticum exemplar.

Praesentes autem Litteras triplici originali exaratas et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, quorum interest, vel eorum qui sua interesse praesumant, auditi non fuerint ac praemissis non consenserint, etiam si expressa et individua mentione digni sint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio licet substantiali et inexcogitato defectu, notari, impugnari vel in controversiam vocari posse; sed eas tanquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas perpetuo validas exsistere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse et fore volumus et decernimus. Volumus denique ut harum Litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis ac sigillo alicuius viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce Litteris tribueretur, si originaliter exhibitae vel ostensae forent. Non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et quibusvis aliis Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum dispositionibus ceterisque contrariis quibuscumque. Nemini autem has Litteras Nostras dismembrationis, assignationis, erectionis, evectionis, concessionis, statuti, derogationis, mandati et voluntatis Nostrae infringere vel contraire liceat. Si quis vero ausu temerario hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum Eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, anno Domini millesimo nongentesimo ac trigesimo, die decimatertia mensis Augusti, Pontificatus Nostri anno nono.

Fr. *Andreas Card. Frühwirth* Fr. *R. C. Card. Rossi*

Cancellarius S. R. E. S. C. Consistorialis a Secretis

Alfonsus Carinci, Protonotarius Apostolicus

Vincentius Bianchi Cagliesi, Protonotarius Apostolicus

Loco † Plumbi

Reg. in Canc. Ap., vol. XLII, n. 60 – M. Riggi